



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Svbscriptiones Episcoporum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

pauperum querimoniis conuenisset, id primo auctore Deo decreuimus sanciendum, quod pro salute regis, & animæ suæ saluatione, vel religionis statu censuimus opportunum. Id est, vt quia prædictus rex per virum illustrem Asclepiodotum referendarium datis ad sanctam Synodus epistolis suis iniunxit, vt quodcumque tam ipse, quam bona memoria iugalis sua Austrechildis regina, vel filiæ eorum, Deo sacratae puellæ, id est, bona memoria Clodebergis, vel Clodehildis, locis sanctis contulissent, aut adhuc conferre decreuerint, auctoritate apostolica deberet sancta Synodus præsenti titulo manuum suarum subscriptione firmare. & quia tam laudabili deuotioni, non solum sacerdotalem, sed etiam diuinam credimus posse connuentiam conspirare; idecirco præsenti constitutione vnanimi consenfu, Deo medio, Synodus sancta decreuit, vt si quid basilicæ sancti Marcelli, vel sancti Symphoriani, vel quibuscumque locis, vel seruientibus Deo, per quascumque auctoritates, vel scripturarum epistolas, præfatus dominus rex, vel supra nuncupata iugalis sua, & filiæ eorum, siue in ministerio altiorum, siue in quibuscumque speciebus, quæ ad diuinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc conferre voluerint, neque episcopi locorum, neque potestas regia quocumque tempore successura, de eorum voluntate quidquam minorare, aut auferre præsumat. Quod si quis hoc quocumque tempore temerare, aut auferre præsumperit, veluti necator pauperum, anathemate perpetui iudicii diuini plectatur, & veluti sacrilegii perpetrator, criminis sui reus, supplicii æterni teneatur obnoxius.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Sapaudus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Arelatensis, subscripsi.

Priscus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lugdunensis subscripsi.

Euantius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Viennensis subscripsi.

Istius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Gratianopolitanæ subscripsi.

Ragnoaldus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Valentinæ subscripsi.

Trapidius in Christi nomine episc. ecclesiæ Arauficæ subscripsi.

PELAGIVS VALENTINVM II. TIBERIVS IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC. 71
ANNO CHRISTI
584.

Eusebius in Christi nomine episcopus ecclesiae Matiscensis subscripsi.

Flauius in Christi nomine episcopus ecclesiae Cabilonensis subscripsi.

Pappus in Christi nomine episcopus ecclesiae Aptensis subscripsi.

Vrbicus in Christi nomine episcopus ecclesiae Regensis subscripsi.

Aridius in Christi nomine episcopus ecclesiae Vappicensis subscripsi.

Artemius in Christi nomine episcopus ecclesiae Vasensis subscripsi.

Martianus in Christi nomine episcopus ecclesiae Tarantasiensis subscripsi.

Pologronius in Christi nomine episcopus ecclesiae Sigestaricæ subscripsi.

Eusebius in Christi nomine episcopus ecclesiae Tricastinæ subscripsi.

Cariato in Christi nomine episcopus ecclesiae Genauensis subscripsi.

Boetius in Christi nomine episcopus ecclesiae Carpenteratensis subscripsi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* X. *Kalendas Iunii.*] Legendum *Iulii.* & mox pro anno 23. vulgati habent anno 24.

* *Anno Christi DXXCIV.*] Huic prorsus anno congruit mensis Iunius indictione 2. quam Synodi præfert inscriptio. Ceterum hic annus Guntramni regis, iuxta æram Gregorii & nostram, fuit tantum 23. Quare ita potius scriptum videtur, quam 24. vt est in vulgata inscriptione. Alii contra mendum esse coniiciunt, non in annis Guntramni, sed in nota indictionis, eamque 7. fuisse volunt, non 2. & quia Guntramni annum 24. congruere putant, cum anno Christi 589. in eum annum Synodum Valentianam coniiciunt.

* *Sapaudus Arelatensis.*] Sapaudum & Euantium episcopos, qui hoc loco subscribunt, anno 11. Childeberti, hoc est anno Christi 586. diem obiisse notat Gregorius Turon. lib. 8. cap. 39. Aberrant ergo, qui Synodum hanc triennio post habitam decernunt, vt dictum est.

NOTÆ SEVERINI BINII.

* *Concilium.*] In hoc Concilio nihil aliud factum inuenitur, quam quod ad instantiam regis Guntramni, donationes, quas ob pias causas, nimirum in usus pauperum & ecclesie ipse eiusque posteri contulerant, vel collaturi essent, priuilegiis & immunitatibus ecclesiasticis donata fuerint.